



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Vita abbatis Myrogenis hydropici. Capvt. VIII.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

stella supra defuncti caput quasi 2 comes itineris
apparere nō destitit, donec ipsū sepulture traderēt
2 Hec miracula, quæ post Sanctorum obitus contingūt,
sanctitati vitæ eorum testimonium ferunt.]

*Vita & mors cuiusdam senis, qui recusavit Abbas
fieri in monasterio Turrium,*

CAPVT. VII.

ALIVS quidam senex sedebat in eodem mo-
nasterio Turrium. Patres igitur eiusdē mo-
nasterij ipsum, vt magnum, & virtutib⁹ cla-
rum, voluerunt sibi constituere Abbatem. Senex
verò orabat dicens: Ignoscite mihi, Patres, & per-
mittite me flere peccata mea. Ego enim talis me-
riti non sum, vt possim animarum curam gerere.
Negocium istud magnorum, & excellentium pa-
trum est, Antonij, Pachomij, sanctique Theodori.
Cum verò fratres illi non acquiescerent, ipsumq;
diebus singulis orarent, vides se ab eis nimium vr-
geri, dixit eis: Permittite me tribus diebus orare,
& quicquid me Deus facere iusserit, faciam. Erat
autem Parasceue dies, Dominica verò die manè
requieuit.

Vita abbatis Myrogenis hydropici.

CAPVT. VIII.

SENEX quidam erat in eodem monasterio
Turriū, Myrogenes nomine, qui ob nimiam
saustilitatem vitæ hydropi us effectus fuerat.
Dicebat autem iugiter his senibus, qui ad eum
conueniebant visitandi gratia: Orate pro me, Pa-
tres, ne interior homo hydropicus fiat. Ego e-
nim, vt in hac infirmitate diutius durem, Deum
oro.

De

DE hoc Abbate Myrogene cum audisset Hierosolymitanus Archiepiscopus Eustochius, voluit ad eum mittere quæcunque erant necessaria, sed ille nunquam ab eo quicquam concessit accipere. Hoc autem solum illi significabat: Ora pro me, Pater, ut liberer, ab æterno cruciatu.

*De Mira cuiusdam Sancti Patris
Charitate.*

C A P V T. IX.

IN ipso monasterio Turrium senex quidam erat sanctæ nuditatis, & elemosynæ valde studiosus amator. Quadam ergo die venit pauper ad eius cellulam elemosynam petens, senex verò cum non nisi vnum panem haberet proferens ipsum, dedit pauperi. Tunc dicit pauper: Nolo panem, sed indumentum. Volens autem senior curare illum, apprehensa manu eius, introduxit in cellulam suam. Pauper autem cum illic nihil omnino inuenisset, nisi solum quod ille induebat, tanta senis virtute compunctus, soluit facculum suum, & in medio cellulæ quæcunque habebat euacuans, dixit: Sume ista, senex optime, & ego alibi quæram, quæ mihi sunt necessaria.

Per vditatem intelligebant veteres omnium rerum mundanarum contemptum & derelictionem. Præsertim monachi huius nuditatis & paupertatis feruentes semper amatores extiterunt. Priusquam enim ad monasteria veniebant, omnia vendentes pauperibus dabant.

Vita Barnabæ Anachoreta.